



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Tvscana Vidva. 14. Iulij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

ærea potestates *MARIÆ* vocabulum, patrocinium
 & exemplum; pereunt sicut cera à facie ignis ubiq̃-
 que inveniunt crebram hujus nominis recordationē,
 devotam invocationem, sollicitam imitationem. S.
 Bon. in spec. B. V.

S. TVSCANA VIDVA.

14. Iulij.

Avdite qui vestrâ jam expugnatâ, alienam
 oppugnatam itis pudicitiam; pugna vestrae
 aleam ex aliorum fortunâ colligite. In TVSCA-
 NAM oculos, sed castos conjicite: cui ad miracu-
 lum formosæ nihil è toto muliebri mundo ita ut
 virginitas placuit. Ergo ad nuptias nobiles im-
 primis adduci non potuit; trahi, cogi debuit.
 Et jam liberaverat longiore metu mors conjugis
 pavidam, cum amor infestus aliâ ex parte bellum
 intulit. Tres, qui sub Venere merebant, juvenes,
 impetum in ædes castissimæ facere, & diripere
 pudorem constituunt. Addit animos visâ TVS-
 CANÆ forma, imò audaciam pudor proscriptus.
 Dum precibus illa pugnat, fenestra ordine
 proditores accipit. Sed ecce ut primùm princeps
 è hostibus intrat thalamum, cadit humo afflictus
 à malo dæmone. Eadem secundi, eadem tertij
 fortuna. adsunt interea parentes, veniamque at-
 que aded vitam victis à victrice TVSCANA exo-
 rant. Nam hæc precibus suis lacrymisque omni-
 bus vitam infundit. Ergo à morte tergemini ado-
 lescentes surgunt, narrantque cum lacrymis, qui-
 bus illic supplicij mulctetur Venus. Mox animos
 expiant, & jam victuri moriuntur. At TVSCA-
 NA tot periculis pudorem expositum videns,
 precibus.

precibus & assiduis jejuniis munivit, dum à presen-
tibus in morte Cœlitibus ad stipendia illis verbis
est evocata: *Veni Sponsa Christi TVSCANNA, ac-
cipe coronam, quam tibi Dominus preparavit in æ-
ternum.* Similem cupis Mariane & vincenti dabitur.
Ex Ferrar.

*Omni studio cave tibi à corpore mortuo in inen-
dio cupiditatis. Objice menti tua ignem illum inen-
tinguibilem, & vermem illum, qui non habet finem,
& carnis inflammatio confestim extinguitur.* S. E-
phrem de Exercitatione.

S. IACOBVS NISIB. E. 15. Iulij.

ILLE IACOBVS est, qui Pontifex Nisibensis mira
oppidò agit. Pauca è multis hæc habe. Contra
jus & æquum sententiam nescio quis Iudex tulit.
Hic contra Iudicem IACOBVS testem produxit
faxum verbo in sexcentas partes diffractum. Sub
aliud tempus hominem Divo objecerunt fictè
mortuum. Ille precibus primò verò mori, tum
precibus iterum non fictè fecit in vitam resurgere.
Iam Saporì Persarum Regi urbem obsidenti, ita
Numine volente, ex muro ipse Imperator esse est
visus; mox in ejus exercitum ingens culicum
agmen armavit, castrisque tam levi milite exiit.
Illud non minus lepidum est. Lavabant ad fon-
tem non Dianæ, sed Veneres. Et facilè, ne Actæon
fieret, IACOBVS oculis imperasset, sed aures invi-
tas procax sermo & lenorifus pulsabat. Succensuit
improbitali & suas fonti aquas ademit, puellis in-
tempestivos canos addidit. Illicet ad horum aspe-
ctum erubescere denique leviculæ, & laeymis
fontem velle reparare. Et hunc quidem restituit
vivibus Pontifex, at canos (quò cum his saltem
sape-